2

DIE XVI. IANVARIJ.
IN FESTO SANCTI FVLGENTIJ EPISCOPI, ET CONFESSORIS.
DVPLEX.

Omnia de communi Confessoris Pontificis praeter ea, quae hic sunt propria.

Oratio.

Exaudi quæsumus Domine, *vt in dicto communi 2. loco.*

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

FVlgentius Hispanus ex nova Carthagine, Severiano Patre eiusdem Provinciæ Duce genitus, Sanctorũ Leandri, Isidori, & Florentinæ germanus frater; à pueritia cùm morum honestate esset instructus, ætate provectior, omni virtutum genere, & sacrarum quoque litterarum eruditione adeò enituit, vt Doctoris illustris titulum apud Hispanos fuerit assecutus. Cuius rei illud quoque argumentum est, quòd egregius idem Doctor Isidorus, qui ab eo fuerat educatus, & pijs documentis imbutus, Libros de Ecclesiasticis officijs, in quibus de vni-

¶ versis.

versis mysterijs, quæ in Ecclesia celebrantur, ac de originibus officiorum Ecclesiasticorum disseruerat, ipsi Sanctissimo Fratri, sacræque disciplinæ amantissimo dedicavit.

℟. Inveni David.

Lectio v.

SEd nihil ad Fulgentij commendationẽ illustrius, quam ipsorum quoque hostium gravissimum de eo prolatum testimonium. Cùm enim Leovigildus Gothorum Rex Sororius eius Ariana hæresi infectus, post patratam filij sui S. Hermenegildi cædem, infirmitate acriter torqueretur, flagitij pœnitentia ductus, licèt non ea, qua par erat ad salutem obtinendam Reccaredo filio suo præcepisse dicitur, vt Leandrum, & Fulgentium, qui in doctrina Ecclesiastica insigniter clarebat; tamquam Patres audiret, & eorum monitis obtemperaret. Id verò à Reccaredo cumulatè præstitum fuisse, tota Gothorum gens ad veram fidem perducta, & Ariana perfidia in Concilio Toletano tertio ab vniverso Regno abjurata, luculentissimè testantur.

℟. Posui adiutorium.

Lectio vi.

EPiscopus creatus Astigitanam, & Carthaginensem miro zelo, & exemplo gubernavit

navit Ecclesias. Toletanæ Synodo interfuit, sub Rege Gundemaro, itidemque Hispalensi secundo, in cuius actis nonnulla suæ Ecclesiæ iura legitur vindicasse. Denique ab inceptæ vitæ instituto non recedens, & forma factus gregis ex animo, cùm pietate in Deum, Pastorali in subditos vigilantia, alijsque sanctis operibus vitā religiosissimè transegisset, virtutibus ac meritis plenus, nec sanctitate minùs, quàm doctrinæ fama illustris, obdormivit in Domino. Eum Diœcesis Carthaginensis, & Placentina vt primarium suum colunt Patronum. Sacræ ipsius, & Florentinæ Sororis reliquiæ sub Alphonso vndecimo in Berzocana oppido inventæ, ac postea divisæ, partim in eadem Placentina Diœcesi, partim Murciæ magna populi veneratione coluntur. ℟. Iste est.

In tertio Nocturno.

Lectio Sancti Evangelij secundùm Mattheum. *cap.* 5.

Lectio vij.

IN illo tempore dixit Iesus Discipulis suis: Vos estis Sal terræ: quòd si sal evanuerit, in quo salietur? Et reliqua.

Homilia S. Gregorij Papæ.

Ex Homilia 17. *in Luc.* 10. *ante med.*

COnsiderandum nobis est, vt qui vna ea-

eademque exhortationis voce non sufficit simul cunctos admonere, studeat singulos, in quantũ valeat, instruere, privatis locutionibus ædificare. Debemus namque pensare continuò, quod Sanctis Apostolis dicitur, & per Apostolos nobis: Vos estis Sal terræ. Si ergo sal sumus, condire mentes fidelium debemus. Vos igitur, qui pastores estis, pensate quia Dei animalia pascitis: de quibus profectò animalibus Deo per Psalmistam dicitur: Animalia tua habitabunt in ea. ℞. Amavit eum.

Lectio viii.

ET sæpe videmus, quòd petra salis brutis animalibus anteponitur, vt ex eadem salis petra lambere debeant, & meliorari. Quasi ergo inter bruta animalia petra salis debet esse Sacerdos in populis. Curare namque Sacerdotem necesse est, quæ singulis dicat, vnumquemque qualiter admoneat, vt quisquis Sacerdoti iungitur, quasi ex salis tactu æternæ vitæ sapore condiatur. Sal etenim terræ non sumus, si corda audientium non condimus: quod profectò condimentum ille veraciter proximo impendit, qui prædicationis verbum non subtrahit, sed tunc verè alijs recta prædicamus, si dicta rebus, & exemplis ostendimus.
℞. Sint lumbi vestri prȩcincti.

Le-

Lectio ix.

NVllum puto, fratres charissimi, ab alijs maius præiudicium, quàm à Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit: quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus: nulla animarum lucra quærimus: ad nostra quotidie studia vacamus, terrena concupiscimus, humanam gloriam intenta mente captamus. Et quia eo ipso quòd cæteris Prælati sumus, ad agenda quælibet maiorem licentiam habemus; susceptæ benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis argumentum: Dei causam relinquimus, ad terrena negotia vacamus: locum sanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur.

Te Deum laudamus.

Missa Sacerdotes tui, *cum Evangelio* Vos estis Sal terræ.

Pro Diœcesibus Carthaginensi, Placentina, & Hispalensi.

Omnia de cõi. Doctoris.

In vtrisque Vesperis Aña. ad Magnificat. O Doctor optimè.

Oratio.

Deus, qui populo tuo.

Lectiones primi Nocturni Sapientiam *de communi Doctoris: Reliqua vt supra.*

Missa In medio Ecclesiæ *de dicto cõi. cum* Credo.

HISPANIARVM.

SAC. Rituum Congregatio ad pias preces Serenissimi Philippi V. Regis Catholici, enixasque Eminentiss. & Reverendiss. Domini Cardinalis de Belluga Episcopi Carthaginensis, eiusque etiam Cathedralis Ecclesiæ, aliorumque Episcoporum, & Ecclesiarum Hispaniæ per Emin. & Rever. D. Cardinalem Barbarinum relatas, indulsit, atque concessit, vt Officium SANCTI FVLGENTIJ Episcopi de communi Conf. Pont. cum lectionibus proprijs, & Evangelio, Vos estis Sal terræ, ab omnibus tàm Sæcularibus, quàm Regularibus vtriusque Sexus, qui in Regnis Hispaniarum degunt, & ad Horas Canonicas tenentur, die 16. Ianuarij sub ritu duplici recitari, & Missa respectivè celebrari possint, & debeant. Et paritèr concessit, quòd idem Officium in Diœcesibus Cartaginensi, & Placentina recitari valeat de Comm. Doctoris cum eisdem le-

ctionibus secundi Nocturni proprijs sub ritu primæ Classis cum Octava, tamquam de Patrono; lectionibus secundi Nocturni, ex Sancto Isidoro Hispalensi desumptis: & de eodem Communi Doctoris in Diœcesi etiam Hispalensi, sub ritu tamen duplici, Missa, & Credo respectivè, si SS. Domino Nostro visum fuerit. Die 17. Aprilis 1723.

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis Sanctiss. D. N. relatione, Sanctitas sua benignè annuit. Die 21. eiusdem mensis, & anni 1723.

F. Cardinalis Paulitius Præf.

Loco ✠ Sigilli.

N. M. Tedeschi Archiepisc. Apamenus
Sac. Rit. Cong. Sec.